

In diébus illis:

- ¹ Loquéntibus Petro et Ioánne ad pópulum,
[postquam claudus sanátus est,]
supervenérunt eis sacerdótes et magistrátus templi
et sadducæi,
- ² doléntes quod docérent pópulum
et annuntiárent in Iesu resurrectiónem ex mórtuis;
- ³ et iniecérunt in eos manus
et posuérunt in custódiam in crástinum;
erat enim iam véspera.
- ⁴ Multi autem eórum, qui audíerant verbum, credidérunt;
et factus est númerus virórum quinque mília.
- ⁵ Factum est autem in crástinum,
ut congregaréntur príncipes eórum et senióres et scribæ
in Ierúsalem,
- ⁶ et Annas princeps sacerdotum et Cáiphas
et Ioáannes et Alexánder
et quotquot erant de génere sacerdotáli,
- ⁷ et statuéntes eos in médio interrogábant:
«In qua virtúte aut in quo nómine fecístis hoc vos? ».
- ⁸ Tunc Petrus replétus Spíritu Sancto dixit ad eos:
«Príncipes pópuli et senióres,
- ⁹ si nos hódie diiudicámur in benefácto hóminis infirmi,
in quo iste salvus factus est,
- ¹⁰ notum sit ómnibus vobis et omni plebi Israel
quia in nómine Iesu Christi Nazaréni,
quem vos crucifixístis,
quem Deus suscitávit a mórtuis,
in hoc iste astat coram vobis sanus.

- ¹¹ Hic est lapis, qui reprobátus est a vobis ædificatóribus,
qui factus est in caput ánguli.
- ¹² Et non est in álio áliquo salus,
nec enim nomen áliud
est sub cælo datum in homínibus,
in quo opórtet nos salvos fieri».

Verbum Dómini.